



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De domibus conuictorum. Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

non mōnera; aut denique ex causa ab Archiepiscopo probata, per facultatem ab eodem scriptis traditam ad breue aliquod tempus abfint.

Hos quidem enim omnes a domo sancti Sepulcri, aliisque eius generis collegiatis aedibus ob eas causas abesse liceat.

Oblati in aedibus sancti Sepulcri vel huiusmodi comorantes, victu communi vtantur: praescriptiones eisdem aedibus datas, viuendi normam atque rationem complectentes, diligenter custodiant.

Quod si horum alicui patrimonium, beneficium ve Ecclesiasticum simplex, vel quoduis aliud facultatum genus fuerit, vnde suppeditari victus possit, ipsi, vel illarum aedium familiam qua cum vna viuunt, quantum sumptus, qui pro illis sit, requirit, subleuent, iustamque propterea ex facultatum suarum fructibus portionem conferant, magnopere persuasum esse cupimus.

Eorum nemini liceat, in bonorum suorum, aut beneficiorum, aut negotiorum rationibus administrandis, litibus per se aut alijs rebus incumbere, quae congregationis instituto non conueniant, & spiritualis vitae progressioni, salutique aliorum procurandae officiant.

At haec omnia fiant (si modò fieri possunt) vel a congregationis procuratore, vel ab alio, quem ipsi Oblati deligere maluerint, nisi ob iustam causam aliquam huiusmodi rerum tractandarum facultatem Oblatis ad tempus tradiderit Archiepiscopus.

Sed & illi quoque in illis ipsis collegiatis aedibus Reuerendissimi Archiepiscopi iussu habitare permittantur Oblati, qui residenti muneri alligatum beneficium non habentes, quamquam neque Diaconatus ordinem susceperunt, neque ea trate sunt, vt suscipere eum liceat; tamen ad diuinum cultum, domesticave negotia illius Ecclesiae domusve collegiatae necessarii sunt.

Porro autem ex Oblatorum numero, qui beneficium Ecclesiasticum obtinet residenti munus adiunctum habens, nullis omnino; etiam si bonorum suorum subiectionem Reuerendissimo Archiepiscopo vouerit, domui sancti Sepul-

cri; aut alijs eiusmodi is posterum constitutendis, neque adiungatur, adscribatur ve, neque fructibus earum alatur, neque demum in illis commoretur.

At contra, quicumque Oblatorum neque Ecclesiasticum beneficium obtinet, neque patrimonium, quod ad sumptus necessarios satis sit; ij ad titularem mensam communis domus sancti Sepulcri, vel aliarum huiusmodi, sacris ordinibus initientur: neque inde quoque alantur, nisi illis quidem Seminatum sumptu, vel alia ratione prouisa fuerit.

Quod si illorum victui tamen aliunde quacunque ratione consultum fuerit, vel quantum satis est Archiepiscopi iudicio, vel aliqua ex parte; illinc mensam communi parcentes, vt ex Pontificijs literis declaratur, victum capiant.

Communis autem mensa sumptibus, vt supra traditum est, alantur, non solum qui commemorati sunt, sed illi etiam maxime, qui votum paupertatis Archiepiscopo ritè nuncuparint: ac illi praeterea in vniuersum, qui quauis ratione mensam illi a Reuerendissimo Archiepiscopo adscripti sunt.

Cui quidem Archiepiscopo etiam illos adscribere liceat, qui sacris ordinibus iam initiati, aliunde etiam habent vnde viuant; si modò beneficium officiove residendi munus adiunctum habente careant.

### De domibus conaictorum. Cap. III.

**V** Bicumque in Canonicalibus Ecclesijs tres saltem oblatores, beneficium, cui residendi munus sit annexum, habeant, ideoque illic eis habitandum sit; hi ex congregationis instituto, Archiepiscopi iudicio ad simul viuendum se conferant; cum scilicet illic, vel plurius datur copia domum quae contiguae sint, vel vna saltem adeo ampla, vt illos omnes excipere possit.

Hoc idem faciendum erit, si in eodem oppido tres saltem Oblatores erant: nisi eorum cohabitatione vicusque communione, impediri functiones ad Ecclesias pertinentes quibus illi adscripti sunt.

Re.

Reuerendissimus Archiepiscopus iudicauerit.

In omnibus autem Conuictorum domibus, eadem ab ijs omnibus qui illic degent, viuendi instituta omnino custodiantur, quæ à familia sancti Sepulcri obseruantur; in ijs scilicet rebus, quæ cum illorum statu qui residendi munere adstricti sunt, Reuerendissimi Archiepiscopi iudicio conuenire possunt.

De oblatorum habitatione in Domibus Seminariorum, Collegiorumve Piorum. Cap. III.

**O**blati, quibus locus ex instituto in Conuictorum collegiatisue domibus non relinquitur, omnes, si fieri possit, in Seminariis, collegiisue pijs educentur, absque tamen congregationis, & collegiatarum eius domus sumptu: & Ecclesiasticis præterea studijs rite instruantur.

Ac ex his quidem, quicumque aut optimis naturæ donis præditi, aut bonis diuinitus infusus donati, eam probitatis, & ingenij indolem præferent, vt cum literis, tum christiana in primis probitate præstantes eos fore spes iam certa concipiatur; hos omnes, etiam si sacris omnibus ordinibus initiati sint, in seminarijs diu retinendos, resque eis necessarias suppeditandas sua Archiepiscopali auctoritate curet Archiepiscopus; vt huic tandem Ecclesiæ, congregationique ipsi, præstantiores vberioresque fructus suo tempore afferre possint: neque interea congregationi incommodo, sumptuue sint.

Si cui Oblato beneficium cui residendi onus sit adiunctum habenti, a sua ecclesia abesse propter literarum studia concessum sit; huic in collegijs, domibusue Seminariorum habitandi locus procurretur, iustaque suorū fructuum portio pro sui sustentatione ab hoc ipso conferatur.

Quicumque autem in ædibus Seminariorum, collegiorumve degent; præscriptiones, & institutiones, quæ in illis seruari solent, quandiu illic degent, custodiant; & illa præterea omnia, quæ Oblatis in domo sancti Sepulcri, alijsue e-

ius generis viuentibus præscripta sunt; quatenus Seminariorum, collegiorumve institutionis non repugnant.

De Oblatis communis vitæ institutionem non exercentibus. Cap. V.

**S**I qui Oblati sint, quibus neque in Collegiatis domibus, neque in Conuictorum, aut Seminariorum, Collegiorumve piorum ædibus locus sit; ij porro donec in ea loca mitti possint, alijs honestis locis Reuerendissimi Archiepiscopi iussu commorentur: Vbi & literis operam nauent, & certæ ecclesiæ adscripti, functiones sui ordinis præsentent, atque in his præterea rebus operam insumant, quæ ad eorum institutum potissimum spectant.

Verum enim verò, & illi ipsi de quibus paulò ante diximus, & alij quoque, qui propter residendi impedimentum, neque in proprijs, neque in communibus Oblatorum domibus degere queunt; in vnaquaque Vrbs regione, vel in singulis diocesis plebibus, aut in certa quadam Vrbs diocesisue parte, vt res occasioque feret, Archiepiscopi iudicio delecta, Præpositum consortij Oblatorum eiusdem partis vel regionis statim temporibus conueniant, illiusque iussu obtemperent.

At verò ille ipse Præpositus sic sui consortij curam gerat, vt tales se præsentent Oblati (quantum ad munus instituti exequendum, viuendiq; rationem attinet) vt quamuis a communi mensa se iuncti sparsim habitent, eorum tamè, qui vna in proprijs communibusue ædibus viuunt disciplinam, pro status ratione, quantum fieri potest, imitari contendant. Præterea verò tum hic ipse Præpositus, tum illi Oblati omnes Præposito sancti Sepulcri subijciantur.

Et qui in ciuitate commorantur, semel saltem singulis mensibus Reuerendissimi Archiepiscopum adeant: Præpositum verò sancti Sepulcri semel singulis hebdomadis.

Qui verò in diocesi, tertio quoque mense ad Reuerendiss. Archiepiscopum, Præpositumq; sancti Sepulcri semel saltem veniant, nisi aliter iudicauerit Reuerendiss.